

num cordibus impressam esse; fateamur etiam, legem divinam in mentibus hominum actu secundo se exerere, quando mens hominum gratia donis illustrata certissimè judicat, quid sit propter naturalem (aut supernaturalem) sinem necessariò faciendum: hoc tamen præcipuè ostendendum incumberebat Gregorio, quod lex divina (sive ut est in mente DEI, sive ut est literis, sive & imprimis ut est in mente humana donis gratiæ illustrata,) & quò sensu, rectè dicatur non solum Lex, sed *Lex Evangelica*. Atqui hinc nihil difertè dictum apparet. Quæ autem per consequentiam huc trahi possent, rem certè non tangunt, multò minùs dubia tollunt: quod si opus esset, & instituti ratio ferret, facilè ostenderemus.

§. VIII. Tantò magis interim licebit nobis priorem illam, quæ principalis dicebatur, acceptionem Legis Evangelicæ, pro gratia generationis, conversionis, sanctificationis & renovationis sumptæ, usurpatoribus suis relinquere, ac tantùm breviter monere, quod, licet dona gratiæ interiùs à Deo conferri agnoscamus, quibus homo regeneretur, convertatur, sanctificetur & renovetur; quando tamen justificationis vocem sensu forensi accipere necesse est, non agnoscamus donum justitiæ inhærens, cujus tanquam intra nos existentis, intuitu, coram Deo & in judicio ejus tam rigido, ubi perfectæ justitiæ requiritur, justifi pronunciemur: neque adeò legem Evangelicam hòc sensu accipiendam admittere possimus.

§. IX. Legis Evangelicæ nomine *doctrinam* denotari, facilius admittet usus loquendi: prout νόμον propriè loquendo & in casu recto esse λόγον, omnes agnoscunt, & apud Ebræos תורה præter legis aut præcepti, etiam doctrinæ atque institutionis significationem habet. Fatendum autem est, νόμον εὐαγγελικὸν nusquam his apicibus, aut in terminis, legi in Scriptura. Quæritur itaque de convenientia appellationis, quæ extra Scripturam, quocumque auctore assumpta est, cum sententia ipsius Scripturæ: seu an Legem Evangelicam dicere non repugnet, sed conforme sit his, quæ de Lege & Evangelio Scriptura ipsa tradit? Agnoscit ipse Bellarminus l. c. controversiam præsentem de Lege Evangelica hoc loco esse de ea acceptione, quæ doctrina aut prædicatio significatur. Becanus etiam, cum de lege nova seu Evangelica disputat, signifi-